

... hac altaris participatione
... filij tui corpus et sanguis
... quibus bene dictione celesti
... eundem deum
... **M** ... dñe famulor
... nos precesserit
... in sapno pacis
... in xpusto quiescent
... ac pacis in mundu
... eundem deum
... **V**obis ... famulis
... in max suora
... dicitur
... ac in armis
... mathia. b...



60 P. Bd.

V₉

+



ORATIO FVNEBRIS
DE ILLVSTRIS-
SIMO PRINCIPE AC
DOMINO, DOMINO IVLIO,
BRVNOVICENSIVM AC
Lunæburgensium Duce:

Habita à
M. HARTVICO SMIDESTETO.



HELMÆSTADII
Excudebat Jacobus Lucius,
Anno M. D. LXXXIX.

2. 6.

ORATIO FVNERIS

DE ILLVSTRIS
SINGVLA DE AC



HELMESTADII
Eruditor Jacobus Lucius
Anno M. D. LXXIX



Vetuosum & acerbum funus,
ad oculos deuolutum ipsos, Ducatus
amplissimi & nobilissimi huius, persequi-
mur viri Magnifici Reuerendi & clarissi-
mi, auditores ornatissimi & humanissimi,
dolentes singuli, & rei asperitate fracti,
& ipsa Ducis incomparabilis non expectata morte per-
culsi, peneq; exanimati. Itaq; si quod vnquam tempus
fuit triste & graue, in quo repetitis dolorum causis la-
chrymas vbertim profunderemus, & luctus acerbitem
significatione publica, & voce in vulgus emissa abunde
proderemus, profecto hoc nunc tempus ita nobis fune-
stum illuxit, vt quocunq; oculos conuertamus, vel in
quamcunq; eos partem flectamus, dolore Principum
animos consternatos, metu proceres debilitatos, trepi-
datione iuuenes fractos, formidine populi vultus deie-
ctos, lamentatione coetus muliebres defoedatos, infeli-
ces nos & miseri, coram, sub ipso Procerum ibi nobilissi-
morum confessu Augusto & venerando contueamur.
Nam & Principe optimo (quo tum viuo stetit felix & tel-
lus & gubernatio) amisso, comodatibus propè omni-
bus miserè nos orbatos intelligimus, & interitu talis Du-
cis, illustris & primarij, regni quasi partem ademptam, &
Imperij dignitatem huius diminutam, grauitè inge-
miscimus. Qua in cogitatione virtutum eius praestantiū
& admirabilium recordamur, de quibus cum attentius
paulò, foeminarum illustrium matrona gloriosissima, ex
electorali & spectata Brandenburgensium Ducum sede
prognata, coniunx HEDVIGIS considerat atq; cogi-
tat, grauissimo animi vulnere afficitur, & Principē hunc

A 2

defun-



bas. p. q. d. am
omni. p. p. p.

defunctum suum, sollicitudine perpetua desiderare vi-
detur. Hæc mœrore confecta, sed Ducum in cœtu
Generosissimorum cognatione munita, sua lamentatione
omnium oculos inflectit, hæc suo fletu liberis omnibus,
luctu suo filijs inprimis illustribus, HENRICO IV-
LIO, Heroi eximio, PHILIPPO SIGISMUNDO,
IOACHIMO CAROLO, IULIO AVGVSTO,
Ducibus & Principibus, vita perpetua dignissimis,
admirabile patris amissi desiderium incutit, hæc tanto in
defunctum amore exarsit, vt fortunam penè eandem
statuat obire, & neget fas esse, non modò domicilio; sed
ne sepulchro quidem ab eo seiunctam esse. Pro ea, Du-
cibus præsentibus, præsentem Nobilitate, præsentem am-
plissimo procerum ordine, millia hominum vestem mu-
tauerunt, pro eadem, sordes ipsi & squalorem induerunt.
Nam & propinquorum ipsorum, Ducum potentissimo-
rum squalor & luctus, & affinium generosissimorū mœ-
ror asiduus, liberorumq; quorundam suorum lachrymæ
penè pueriles & continuæ, omnium in procerum augu-
stissimo cœtu pietatem mouerunt, & ad fletum singulos,
misericordiamq; deduxerunt. Auget etiam ægritudi-
nem, quod Principum foederibus ruptis, Ducum animis
exacerbatis, bellorum motibus excitatis, curarum &
sollicitudinum harum socius ille, Reipub. tempore alie-
nissimo extinetus, sui apud duratum vniuersum, triste
desiderium reliquerit, dolemusq; omnes, quòd Heros
inprimis tantus, heros qui sunt fuerunt erunt glorio-
sissimus, laborumq; in vita difficiliorum omnium socius,
sub ipso gubernationis molestissimæ graui onere conci-
derit. Etenim cum virum fortem, & consiliarium tan-
tum bonum, prudentia singularem, & conseruatorem
pacis incomparabilem tristi tempore, sub Reipub. forma
pertur-

perturbata amiserimus, eum non modò tacita animi cogitatione deploramus; sed voce propè missa atq; lugubri doloris magnitudinem, quem grauem & acerbum ex funere illo persentiscimus, testamur & declaramus: quo tandem animo, Ducis eius obitum improuisum ferre oportebit, quem ab inconstantia semper grauitas, à vita libidinosa exemplorum vetustas & religionis authoritas deterruit, quo non potuit carere Imperij senatus, quem boni luxerunt, Respub. desiderauerunt, quo florente & magno, Imperij authoritas, & florens & magna iudicata fuit, quo moderatiorem, castiorem, sapientiozem, vrbes & ciuitates non modò non viderunt, sed ne sperando vnquam aut optando cogitauerunt. Sed quoniã temporis fortè infelicitate, suo magis quàm Reipub. commodo è vita cessit ille, & tum celsit, cum lugere faciliùs mundũ, quàm iuuare & promouere eum possit, vixitq; tam diu, quàm licuit Optimi Maximi clementissima prouisione, nostro incommodo detrimentoq; , si ita est necesse, doleamus, illius verò mortis oportunitatem, potiùs beneuolentia, quàm misericordia prosequamur, ideoq; animos nostros à tristi funeris aspectu auertentes, ad illustrium in eo virtutum & beneficiorum recordationem deflectamus, moremq; secuti in eo exequiarum honestandarum, viris fortibus receptum, populis probatum, ætatibus transmissum, pauca quædam ex defunctæ ac piæ animæ historia, qua id fieri potest breuitate, delibemus.

Qua tamen in parte dolendum summoperè, me superiorum authoritate vna cum alijs iussu, & docentium penè mandato adactum, perorandi in loco augustissimo durissimas partes subire, qui dolore animi acerbissimo, sub luctu recenti, & Reipub. vulnere graui, plane



ipse deiectus, ingenioq; & dicendi firma facultate de-
stitutus, nihil aut tanti Principis laude dignum, aut ve-
stræ expectationi gratum, valeam dicendo, tempore
luctuosissimo in medium afferre. Ita q; ceteris, à quibus
Principis virtus excellens abundè prædicata fuit, Prin-
cipem debere plurimum agnosco. Ego quantum Prin-
cipi debeam, tacitus ipse mecum cogito. Principio Ora-
tionis meæ assero, me Principi defuncto, cui lachryman-
tes officium vltimum nomine publico persoluimus, si
minus oratione satisfacero, voluntate ipsi & affectione
certò satisfacturum esse. Quæ vero aliorum eximiè
perorantium hominū vbertas fuerit & copia, in exagge-
randa Principis laude, & prædicando abundè eius be-
neficio, populis sæpe & nationibus ipsis tributo, iudicio
confessus huius amplissimi, testatum & compertum esse
potest. Nihil horum ingenijs feliciter, nihil doctrina ex-
quisitius, nihil dicendi laude vberius, vt quæ me res ex-
acuere, & dicendi velut grauem imperum protrudere
debeat, ea sub luctu publico, & confessu Procerum au-
gusto, languorem maximè animo afferat, vim ingenij
languefaciat, adeo q; omnem orationis splendorem &
maiestatem infringat ac comminuat. Nam quæ non
fuit in plerisq; ad dicendi singularem facultatem natis
hominibus, quorum ego in hoc loco peroraturus vene-
randos vultus conspicio, dum hanc ipsi causam ante me
egerunt, maior vbertas, copia, varietas, qui argumento
præclarissimè tractando, & beneficio ornatissimè effe-
rendo, summam ex hoc studio laudem, & immortalem
sui apud omnes nominis gloriam consecuti sunt? Sed
mos gerendus est non modò amplissimo nostro ordini,
sed & Academiae huius nutricio & fundatori ipsi, IULIO
Duci, mortalium celebratissimo Heroi, qui sui in nos
deuoti

deuoti ac pijs animi, sui in præclaram Brunouicensium
domum officij, sui in Rempub. vniuersam nostram bene-
ficij, etiam me authorem & prædicatorem exposcit ac
desiderat. Oro maximoperè etiam atq; etiam, ea qua
possum ac debeo animi submissione rogare vnumquenq;
vestrùm, vt qua facilitate, plerosq; in loco hoc publico
ante medicentes audiuitis, eadem me de præclarissi-
mis Principis defuncti laudibus balbutientem au-
diatis.

Dicendum omninò mihi, de præstantissimo Heroe,
IULIO Duce, qui factis, qui gloria, qui nomine, qui
fama, IULIVM orbis Imperatorem secutus, sui in vita
apud omnes admirationem concitauit, meritis Germa-
niam affecit, prædicatione oras exteras attigit, studijs
deniq; & beneficijs, memoriam nomini suo, sub orbis
Christiani imperio æternam ac indelebilem peperit.
Neq; tamen Ducis commendationem, ex infinito laudũ
omnium numero sumam aliunde, quàm ex generis am-
plitudine, & in generata eius & natiua & propria virtute,
quæ ad laudem Herois tam præstantis, mihi dolore im-
pedito, & sub luctu vrbs publico consternato, ideoq;
breuiter dicturo, sufficere abundè videntur. Quamob-
rem primò omnium, vt quem naturæ motum, præstan-
tem & diuinum, à Maioribus commendatis traxerit, &
velut à lacte primo suxerit Princeps animaduertatur,
non ex sermone hominum recenti, sed ex Annalium
longitudine, memoria nobilitatis omnis eius, repetenda
nobis erit. Celebratur autem vetustate, & rerum in pri-
mis bellicarum varietate, nobilissimum Longobardorũ
genus, à quo familiæ amplitudinem, & virtutum expref-
sam imaginem, in Ducis huius Maiores felicissimè de-
riuatam, excultæ hominum literis historiæ prodidère.
Concede-

75
a. ew 515

~~Amplificatio~~
in
vniuersam
p. 111

amplificatio
S. 111

primò
D. 111
111

111



Confederant illi, in his olim locis, ad medium Albis, sed cum dominandi libidine, & terrarum exterarum amore tenerentur, progressi cum familijs suis, in terribilibus ipsis gentium migrationibus ad vltimas regiones, bella maxima gesserunt, & factis ac victorijs clarissimis, gloriam posteris suis incredibilem pepererunt. Occupauerunt eam Pannoniæ oram, quæ Italiae propior est, vbi cum annos quadraginta consedissent, pulcherri-
mis Italiae conspectis vrbibus, harum splendore & magnificentia permoti, Italiam vltro ingressi sunt, & regnum in florentissima eius parte, annos ducentos integros tenuerunt. Excellens inter alios virtus Egilolphi, regis Longobardorum Quarti, conspecta fuit. Is Exarchi Callinici graui iniuria irritatus, cum filiam liberare vellet & generum suum, quem Callinicus turpissimè abduxisset, bellum aduersus Exarchum graue mouit, & primò ad urbem Patauium accessit, in quam cum faces multas iaculatus esset, magna aedificiorum parte incendio absumpta, tandem vrbis facta est deditio. Rursum igitur cum ingenti hominum multitudine inde migrans auxit Venetam urbem, postea Cremonem deleuit, & Mantuam, propter factam deditioem seruauit. Deinde totius Italiae sperans imperium, exercitum ad urbem Romam adduxit, quam annum integrum obsidione perpetua fatigauit, coactus tamen, propter saeuissimam pestis luem, instar hostilis exercitus omnia depopulantem, copias inde suas abducere, maximè cum Gregorij, Romani Episcopi intercederet deprecatio, cuius assiduis contentioibus, & penè quotidianis ac indefessis laboribus perfectum tandem fuit, vt Smaragdus Exarchus, Egilolpho filiam, Generum & urbem Parmam restitueret. Eadem, & penè maior ac conspecti-

conspectior virtus, Ludebrandi Longobardorum regis
decimi sexti fuit, qui cum gubernationis suae initia glo-
riosissima haberet, sed Rauennam urbem, graui & longa
obsidione frustra fatigaret, duxit exercitum in Tusciam,
vbi Cludium vi captum crudeliter diripuit, Bononiam,
Liuij forum, Auximum, & vrbes multas alias occupauit,
Carolo Martello difficile bellum gerenti, auxilia contra
Sarracenos misit, Romanum etiam Pontificem, copias
Spolitani Ducis contra sese adiuuantem, obsidione cin-
xit, & tandem exercitum ad Caroli Martelli seriam in-
tercessionem, haud inuitus dimittit. Ea Longobardo-
rum virtus, in posteros felicissime propagata, continua
deinceps serie, excellens semper & admirabilis, ad haec no-
stra vsq; tempora floruit, quae HENRICI tandem pa-
tris invictum in bellis robur, & penè formidabilem eius
in florentissimis Saxoniae locis potèntiam admirata sunt.
Nam cum propter fractas pacis condiciones, Deside-
rium regem Longobardorum postremum, Carolus Im-
perator Leodium captiuum relegaret, & Longobardis
in pristina sua Italiae sede permanentibus, praesides praeficeret animosos, iustos, fortes, generis huius, & familiae
Principis illustratores, Adelbertus, Hetruriae Marchio
primus, immortale contra Sarracenos nomen obtinuit,
quorum ille tentatas aduersus Calorum Imperatorem
immoderatas vires, ferro compefcuit, bello fatigauit ac
fregit. Quem secuti deinceps longa successione, bellis
& victoriis, in regno Italiae florentissimo, Landebertus
Tusciae Marchio, Sigisbertus Lucensium Princeps, Azo
primus Dominus, Marchio Canossanus, Azo Albertus,
primus Marchio Atestinus, Hugo, Culmae Dominus, Al-
dobrandus, Marchio Taruisianus, Azo secundus, Mar-
chio Atestinus, incredibile dictu, quae virtus, quod ro-
bur,

B

bur,



bur, & quæ in prolatando Italiae regno ac imperio felicitas & potentia. Subegerat Sigisbertus Parmam, ceperat Azo terram Atestinam, expulerat Hugo Calabria gentem Græcam, donec Guelphus, successor horum, virtute clarissima & formidabili Princeps, Pado digrediens, materna Germaniæ regna, Bauariam & Corinthiam, regno Italiae florentissimo adijceret. Inde verò prognati Heroës ac Duces, totius Brunouicensium Ducum stirpis parentes: sed disseminata in successores auita & militari gloria pugnis clarum, & manu præter alios fortissimum, historiæ celebrant HENRICVM LEONEM Principem, cuius inuicta in bellis virtus, & incredibilis contra hostem animus, cum terrori esset imperio, innumerabiles in Germaniæ oris strages edidit, Saxoniam inferiorem recuperavit, ditiones patri ademptas bellis repetiuit, Sclauos extirpauit, & trophæa sibi & victoriæ insignia multa erexit. Longum foret, & nimis operosum, si in recensendis successorum Leonis gestis, familiaria facta ad nostros vsq; Principes deductione, nauare iustam operam vellem. Sed quæ OTTONVM, HENRICORVM, & tui inprimis IULI Princeps non ita longè defuncti HENRICI Parentis, bellicosissimi mortalium Herois ac Ducis, formidabilis contra hostem virtus, & in propulsandis periculis acer impetus, mota temporibus illis certamina, importata terris regna, fatigata multonum Imperia, suprâ quàm oratione potest exponi, edocuerunt. A quo quidè natus parente salutis humanæ Anno 1528 IULIVS Heros fuit, Parente & Principe, vt pleriq; meminerunt, & sapiente & forti & graui, qui cum temporis magis vicio, & ætatis errore, Põtificios ritus tenaciùs in initio amplecteretur, reliquis vitæ humanæ officijs, fortissimè & cõstantissimè vsus fuit.

fuit. Et quanquam eodē authore & genitore, potentes & illustres animi motus, tanquam stimulos equestrium virtutum senserat IULIVS Heros, vim tamen hanc nativam & ingeneratam, cum ad pacis ille artes magis converteret, quibus nato iam pridem terris incendio medellam necessariam afferret, & belli excitatos graues motus prudenter & grauitur compesceret. nihil in hisce ille, statim à puero, quod aut vulgare aut commune esset, sed quod generis eius amplitudinem & sublimitatem spectaret, & fecit semper, & sensit & cogitauit. Nati fuerant HENRICO Principi, ex eadem coniuge MARIA, Henrici V Virtenburgensium Ducis filia, præter Ducem IULIVM, natu minimū, & cœli positu foelicissimo editū filij duo alij fortissimi, Carolus Victor, & Philippus Magnus, qui magnitudine animi insignes, & contra Albertum Marchionem manu dimicantes, vnà cum MAVRITIO Saxoniae Electore, in acie ipsa gloriosissime occubuerunt. IULIVS verò cum pacis magis artes arriperet, & naturam in his florentem & excitatam animadverteret, primò Coloniam, inde in Galliam, & ex Gallia Louaniū, ad locum in primis nobile, & hominibus eruditissimis, liberalissimisq; studiis affluentē, ingenii excolendi sui causa missus fuit. Erat tempore eo, quo ad Academiam primo illam vna cum nobilissimi sanguinis hominibus multis aduenisset Princeps, propter auditorum & procerum studiis isthinc inuigilantium frequentem copiam, non paruus Academiae rumor concitatus, quem tum adueniens ille, ita quidem digna Principe affabilitate, & laudata erga omnes ordinis cuiuscunq; homines comitate auxit, vt permoti plerique, maximè qui vicini erant, Principis candore & humanitate, ad locum eum auidè confluere, & Principem præter cæteros hu-

manitatis officia clementer singulis offerentem, quodam
sui animi inexplebili desiderio expetere viderentur.
Nam erat & hoc, in principe tempore illo studium ve-
rum, ut præter cultum ingenii, quem auctiorem in loco
eo reddere cupiebat, bonorum isthæc omnium volunta-
tes benignè & clementer demereretur. Itaq; hunc &
Principes ibi, & Comites, & Academia paulatim ipsa di-
ligere coeperunt, & omnes, qui de ingeniis aliquid po-
terant iudicare, honore & principatu dignum iudicaue-
runt. Qua tanta celebritate famæ, domum reuersus,
cum patre adhuc viuo nullam ipse regionis partem te-
neret, ad laudatissimum mortaliû Heroa ac Principem,
D. IOACHIMVM Secundum, Electorem Brandebur-
gensis consilio quodam suo concessit, atque vna cum
ipso regni publicas deliberationes adiuvit, cuius tunc
etiam filiam vxorem duxit, si genus spectes, matronam
nobilissimam; si mores, lectissimam; si pietatem, princi-
pe tali verè dignam. Commodè ego in principis lau-
dibus vxorem pono. Nec enim malè dixit veterum qui-
spiam, M. Antoninum Philosophû, inter optimos Impe-
ratores numerari potuisse, nisi Faustina habuisset vxo-
rem. Tanti nimirum refert in viro principe, habere cõ-
iugem, ex cuius viciis nihil ad ipsum redundet. Verùm
hac ducta inelyta & gloriosissima coniuge, vixit cum il-
la Princeps, temporis aliquo interuallo, curarum planè
expers, & laborum publicorum omnium immunis, cla-
uum tenente gubernationis & imperii, optimo & sapi-
entissimo patre HENRICO, donec clementissima
Dei Maximi prouisione, rebus humanis exempto illo,
ad IVLIVM Ducem, hæredem masculum atq; vnicum,
imperij deuenerit gubernatio. Hic quid nunc ego de
imperio loquar parto & gesto? Ille renunciatus est Prin-
ceps,

ceps, impeditis Reipub. temporibus, cum patre mortuo,
bellis exardescerent omnia; cum ijs, qui vicini etiam e-
rant, & quorum cervicibus vnà malum adhærescebat,
imperio vnum ipsum dignissimum existimarent. Itaque
ducem & principem eum, ditio cuncta, ordines omnes,
ciuitates, vrbes, castra & oppida declarauerunt, populi
vicini exoptauerunt. Quo quidem ex tempore, ille
bonos omnes, & vicinas vrbes, armorum statim metu
liberavit, pacis fundamenta iecit, motus compescuit,
ditionem conseruauit, & si oportuit, authoribus melio-
ribus reseruauit. Ille etiam viuo Patre, si quos ducatus
huius fidos Parastatas animaduertebat, sua autoritate
contra inuidiam defendit, ille homines fortes & bonos,
sed ea fortunæ conditione vsos, quam tulerat sub pa-
rente temporis error, & religionis occasio, suis inimi-
citijs mala plurimorum gratia tutatus fuit; ille regionē
ipsam, flammam tum vomentem & minitantem restituit,
tela bonorum omnium iugulis iniecta depulit, & accen-
sas nonnunquam ad religionis incendium faces com-
prehendit, protulit, extinxit. Ille etiam regno & im-
perio possessiones non paruas adiecit, nudatam bellorū
iniuria terram, opibus auxit, & diuitijs in immensum
extulit. Auctam ditionem, quam Maiores sui, armis
& sanguine tenuerunt, contra impetus hostiles probè
vnus consilio defendit, alteram regni Brunouicensium
partē successionis sibi paternæ iure acquisiuit. Sed quid
hæc ego generatim commemoro, cum alia ipse, per quæ
æternitatē apud nos in terris consecutus fuit, diuiniora
& præstantiora perfecit? Nam vt singulatim quædam
in Principe animaduertamus, pietatis in eo singularis,
iusticiæ excellentis, & sapientiæ admirabilis, exempla
& facta, longè sunt cōspectiora, quàm vt vel ætate obrui,
vel me-



vel memoria obliterari, vel literis etiam deleri videantur. Ille fundamentis huiusce positae gubernationis suae, non multo post, tacente & inspectante imperita multitudine, foedissimum & immanissimum terrae huius monstrum, & fatale prodigium Antichristum ipsum euertit, huius abominaciones & blasphemias proteruas detexit, conscientias miseras ex carnificinae Papisticae tortura eduxit, doctrinae lucem studio acri, labore indefesso & constantia inuicta, late in terras ac regiones effudit, fontes oraculorum diuinorum a traditionum humanarum fecibus repurgauit, Collegia non ea solum quae fermento papatus corrupta latebant restituit, sed innumerabilia quaedam alia, ex omnium urbium numero & seruitio constituit, emendauit, correxit. Quo quidem in studio, vndique tum frementibus partis aduersariae hominibus, ita nunquam timidus fuit princeps, ut qui patre viuo, in maximis turbinationibus & gubernationis saeuissimis fluctibus, nauem tacite nonnunquam gubernasset, vllius post mortem paternam supercilium, aut contaminatum eius spiritum pertimesceret. Itaque hoc regnante Principe, & ditionem ipsam consilio vero gubernante, conatus pestiferi Pontificiorum, de manibus sceleratissimorum exciderunt, cum antea quidem omnes boni, abditi quasi & inclusi moerent, templa gemerent, oppida lugerent, tum funestum illud animal, ex nefarijs stupris, ex hominum cruore, ex scelerum omnium importunitate conflatum, loco Princeps, sede & ditione amouit. Nondum, viri amplissimi, quae religione iam emendata vel obfirmata fecit Princeps, sed quae sub emendatione egerit ipse, dico. Etenim non multo post, gubernator & Dominus constitutus ille, cum terrae monstro foedissimo & immanissimo expulso, & peste ac labe ea Imperij profligata, nihil

nihil prius & antiquius verbo diuino haberet, docentes
in Ecclesia verbum purum & incorruptum, non solum
studiosè audiebat, sed & sacrarum literarum lectioni ho-
ras quotidie certas tribuebat, & vota ac gemitus nonnun-
quam ad Deum ardentibus lectioni intermiscerat. Toto
etiam animo sphingas religionum detestabatur, nec om-
nes omnium phanaticorum sparsas opiniones comple-
ctebatur; sed vnam eam veram & incorruptam, quam
scripta Prophetica & Apostolica de Christo mediatore
eiusq; beneficio tradunt doctrinam, cordis affectu vehe-
mentissimo consecrabatur, eiusq; cogitatione sæpe ad
inuocationem, confessionem & virtutum decentium ac
illustrium considerationem erigebatur. Edebat eius fi-
dei & pietatis documenta quotidiana & illustria, in con-
stanti eius doctrinæ quam in ducatu amplissimo suo ex-
pensis longè grauissimis proponi curauit professione,
Ecclesiarum reformatione, in quotidiana invocatione,
in dolorum & morborum laudata ac pia moderatione, &
in ipso hoc suo extremo & acerbissimo agone, vbi fidei
robore, cruciatus, quos ex viscerum debilitate senserat
ingentes, animo patientissimo tolerabat, cum multò
quidem antè, sæpe non minores calculi dolores, mente
intrepida, & ea ad DE I filium erecta perpessus fuisset.
Verum & hæc dicat quispiam ea esse, quæ sunt Principi
cum multis communia, & quæ in pietatis vero demon-
strando studio, de reliquis Christi confessoribus, Ger-
maniae Ducibus & Principibus, oratione funebri exponi
& dici possint? Itaq; vnum viri amplissimi maxime
omnium dum hæc stetit tellus, & hoc regium Ducum
Brunouicensium floruit nomen & imperium, memora-
bile, quod hic gessit in vita Princeps, mihi non modò
hoc loco dicendum; sed latius etiam oratione vrgendum
& euoluen-

penpani
Southe

& euoluendum erit. Ille, vt certum quoddam & inde-
lebile memoriæ perpetuæ monumentum, quod ad po-
steritatem vsq; transmitteretur, sibi & hæredibus suis in
terris relinqueret, domicilio nuper literario exstructo,
& ludo publico aperto, per veram artium in vita salu-
tarium instaurationem, & harum felicissimam sub
ipsis negocium quotidianis inuouationibus & hor-
rendis regnorum ac imperiorum dilacerationibus
conseruationem, non modò religionem propagauit, sed
fortunas etiam, ocium, pacem, incolumitatem, nobis,
liberis, & coniugibus nostris attulit. Quamobrè ipse etiã
Princeps, cum ferè vbiq; locorum, in quibus & degeret
& subsisteret, vnam hanc rem inter verba dicta facta &
consilia sua alia, perpetuæ sibi curæ esse diceret, & Scho-
lam ipsam, statim initio fundamenti huius iacti quàm
maximè illustrem & celebrem reddere cuperet, ne quid
ipse operarum in eo intermitteret, viros in omni disci-
plinarum & facultatum genere egregiè doctos, ex locis
diuersissimis aduocauit, & stipendijs in singulos erogatis
amplissimis profusè aluit, & vt prælectionum & exerci-
tiorum omnium sedulitate, curam & solertiam debitam
afferrent, omni suo studio prouidit, curauit, effecit.
Hic verò si quis esset nostrum, qui in efferendo benefi-
cio illo, immortalis & diuino, quo terras Princeps, quo
regiones, quo vniuersam penè Europã affecit, ingenio
confusus suo, dignam orationis copiam promitteret, &
sui in dicendo profectus vberes fructus venditaret, huius
inprimis effrenis audacia, conficta, vana ac stolidia ia-
ctantia, si non fortassis helleboro, maledicto tamen &
conuicio, coercenda omnino & reprimenda foret.
Nec enim par virtuti oratio, nec quæ factò digna cense-
atur, mente fingi, nedum scripto comprehendi vnquam
potest.

potest. Sæpe cogito, Heroum illustres motus, quibus imperia ipsi condiderunt, & incredibiles Rebulpub. felicitates attulerunt, cœlestes omninò & diuinos fuisse, gesta quoq; elato & magno animo, excellenter & fortiter, maiori quodam numine gubernari. Quamobrem quis est mortalium, qui si beneficium florentissimis Saxonix locis, per laudatissimum mortaliũ Heroa ac Principem, D. IULIVM Brunouicensium & Lunæburgensiu Ducem, in vera artium salutarium conseruatione postrema mundi ætate allatum, tacitus secum consideret, non hominis hoc inuentum, sed à Deo Opt. Max. singulariter profectum, ipse non dicat ac sentiat? Neq; verò quisquam aliter potest arbitrari, nisi qui motus illustres nullos, nullos afflatus diuinos existimat, quem nec facta, nec gesta, nec admiranda virorum Principum opera mouent, idq; quod maximum est, parta labore regna, & conseruata sanguine imperia, in quibus si numen, si vis cœlestis aliqua, an nulla in his, quæ mentis conatum, animi spiritum, excelsum & præclarissimum rationis motum exposcunt vel arguunt? Ea vis, ea est igitur, quæ domicilium literarum clarissimum exstruxit, studiorum Palæstram Academiam fundauit, terris literas intulit, bella deleuit, motus compescuit, quæ mentem primò Herois percelluit, edocuit, vt religionis discussis tenebris & funestis irarum ac motuum extinctis facibus, Coloniã huc deduceret artium ingenuarum, & disciplinarũ honestissimarum, quarum beneficio immedicabile hisce terris exortum vulnus sanaretur, pax, religio, fortuna, vita, libertas restitueretur. Non est humano consilio, nec mediocri immortalis DE I cura ac munere res illa perfecta. Religio mehercule & tellus deserta studijs ipsa, quam bella quondam funesta inquietauerant, incendia

C

*figura sibi in la
Comunio
dici. compase*

an. colozia

*vi. sig. d. un
p. s. d. un*

1070 p. 12

cendia grauiſſima extinxerant, diſſidia euerterant, ab
his ſe malis & periculis admiranda Dei ope ereptam &
liberatam, ingenuè confitetur. Nifi fortè literariam *de literis*
cauſam, à mente diuina ipſa temerè deſeri, impudenter *hi*
aſſeramus. Id quod pronunciatu foedum, & à Chriſtiana
veritate longè eſt alieniſſimum. Nam quod non eſt
còmercium cum literis laudatè in terris Eccleſiæ, cui ille
cœli & terræ Dominus, mundi ampliſſimi Architectus
DEVS, adeſt ſemper, & hanc conſilio admirando ſuo,
amore erga eam permotus inenarrabili, per effuſum in
ara crucis roſeum ſanguinem oſtenſo, conſeruat, tuetur,
defendit, protegit? Quare vt quale eſſet filio DEI erga
vtrumq; genus deſiderium, & quæ vtriuſq; indiſſolubilis
coniunctio ac copulatio, ſancta & erudita doceret
antiquitas, pictura quondam illuſtri, in templis publicis
Gratias Muſis adiungebat, ad eius quæ eſt inter illas fir-
miſſimæ conſociationis illuſtrem teſtificationem. Et
oſtendit continua docentium ſeries, & propagata patrū
veterum ſucceſſio, neq; ſine Scholis Eccleſiam fuiſſe,
neq; illam ſine literis conſeruatam & propagatam eſſe.
Primæ patrum familiæ, quarum aliqua poſt primam
mundi euerſionem & tristem terrarum factam inunda-
tionem celebratæ ſunt, prorsus Scholæ fuerunt. Dein-
de cum lex per Moïſen, Dei inuictum miniſtrum, tem-
poris ſucceſſione daretur, clarum de Scholis mandatum
additum fuit, & iam tum conſtitutum, vt ad tabernacu-
lum ipſum, cœtus aſſideret diſcentium & docentium.
Sed & Chriſti ſaluatoris & liberatoris tempore, cum re-
pudiatis in Dei populo Prophetarum monumentis, ſtu-
dia prophana, Græcorum Philoſophia, & horribiles in-
doctrina cœleſti tenebræ ingruerent, ad doctrinæ ſalu-
taris conſeruationem, per Iohannem Baptiſtam & Apo-
ſtoloſ,

stolos, Scholæ felicissimè constitutæ & restauratæ sunt, quos scholasticos cœtus fouisse & aluisse, historia testatur. Et disertè Irenæus scribit, Iohannè habuisse assiduos auditores multos, & in his Polycarpum, qui acceptum morem Smirnæ solitus fuerit obseruare. Quæ nunc eò commemoro, vt cum firmissimam arctissimamq; quæ est scholis seu literis cum Ecclesia coniunctionem oratione demonstrauero, planè ipsi perspicere possitis, illustre Principis, florentissimis Saxoniae locis in ædificata nuper Schola publica collatum beneficium, vnde nunc fructus & surculos contigit decerpere, consilio non humano, sed occulto omnino, & coelesti summi & immortalis Dei munere profectum esse. Dura mediis fidius fortuna terrarum harum & crudelis videbatur, quæ tot annos insultantem Papam, laruam ac Beluam Romanam, Aquilonis Regem & plebis deuotorem in aris & focus ipsius suis, coram videre ac inspectare, & imperium gænonis turpissimi, humeris impositum amœnissimæ regionis, miserè ferre coacta fuit. Fœdauerat ille opinionum turpissimis commentis sanctissimam religionem, stercora traditionum & superstitionum humanarum venditauerat, Christum & Christi in his terris beneficium extenuauerat, cultus diuinos peruerterat, corruerat, mutilarat, alios verò pro suo arbitratu cumulauerat, sanxerat tristissimam carnificinam conscientiarum, damnauerat cōiugium, transformauerat in politiam Christi æternum ac spirituale regnum, Sanctorum inuocationes stabiliuerat, libidines impunè exercuerat, cæremonias veteres immutarat. Obstabat eius cogitatis furoribus nemo, præter ipsum hunc nostrum incredibili animi magnitudine Heroem ac Ducem, qui solus poterat obstare. Reliqui neq; hiscere, neq; missitare quidem ausi fuere. Hic

conclusio

*in Spanis
7. 10. 11. 12.*

mentem primò Herois grauiſſimi, mortalium facile
vniuerſi terrarum orbis ſummi, cœleſte & ſanctum nu-
men impulit, vt poſt repurgatam Eccleſiæ doctrinam, &
allatam terris diuini verbi lucem, Scholam quoq; publi-
cam, præſidio armatam literarum, & varietate inſtructā
virorum lectiſſimorum, per quos gloriæ aliquando ſuæ
vberrimos ipſe fructus peteret, expenſis longè grauiſſi-
mis, ſeculi permotus furore & iniquitate, conderet, fun-
daret, inſtauraret, exſtrueret. Aliter peſtis illa excindi,
aræ conſeruari, larua & belua in totum extirpari non
poterat. Abſumpſerat credo doctrinæ in his terris cor-
ruptæ partem aliquam purè docentium paſtorum fidele
& acre ſtudium, ſed corruptelam, quæ multorum adhuc
adhæreſcebat animis omnem delere, euertere, eximere,
haudquaquam illi poterant.

*Ex dno pro
poſitiōis*

An verò in gerendo munere tam præclaro, immani
pellendo Antichriſto, ſubuertendo in totum Idolo, co-
hercendo traditionum humanarum fermento, terrarū
harum ſiue extra ſiue intra urbem Doctores, ſatis fuiſ-
ſent fortes, vbi maximè ad explicandas religionum con-
trouerſias, & repurgandas Eccleſiarum formas, ſicut
linguarum atq; artium, ita docentium & diſcentiū quoq;
inſinita varietate opus eſt? Hæc igitur afferenda fuerūt
omnia, & coniunctim ad extirpandas terrarum harum
Idolomanias, & abolendos in totum, Pontificum ſtabi-
litos malitia errores, fidei docentium omnium cura atq;
opera expedienda. Quo planè conſilio, artium variarū
exercitia in ſcholis inſtituta ſunt, vt quamuis pleræq;
multiplicem in vita ciuili vſum habeant; præcipuè tamen
ad doctrinam piæ & ſanctæ Eccleſiæ illuſtrandam con-
ducant. Nec enim temerè Dei irriſor ille, & hominum
flagellator Iulianus, Scholas de medio regno excindi,
litteras

Kanis

litteras exturbari, oratores eijci, ingenti boātu ac fremi-
tu mandauerat, ratus omninò, firmissimum in his am-
pliandæ & stabiliendæ coelestis doctrinæ præsidium col-
locari. Pennis, inquit, proprijs vulneramur. Ex nostris
enim armati illi conscriptionibus, bella contra nos susci-
piunt: Terras verò infelices eas, quæ monstrum, quod
coelum reformidabat, mundus expuebat, non videre
solùm & tolerate, sed fouere etiam atq; alere coactæ fu-
erunt. Nostras felices & beatas, quæ numinis iam pridè
expertæ benignitatem, virtutè aliquando tam illustrem
illam sub lucem exceperunt, per quam mundi amplissi-
mi Dominus ipse Deus, sub fatali ipsa rerum concussio-
ne, efferato nostro sæculo, in quo ingratitude hominum
religioni tristes confusiones, & optimarum artium stu-
dijs extremum interitum denunciat, rem maximè o-
mnium salutarè & vtilem expediri atq; geri voluit: quæ
profectò tanta est, vt si cum rebus gestis Maiorum, fructu
& magnitudine conferre eam velim, planè amens sim.
Multas Ducum in his terris fortissimorum victorias cla-
rissimas vetus ætas vidit, nostra legit, quas contentionū
magnitudine, præliorum varietate, bellorum dissimili-
tudine, linguis atq; literis celebratas, tempora priora
meminerunt, secula postrema non conticuerunt. Sunt
enim conseruata bellis primum regna, & hominum am-
plificata sanguine imperia. Sed tamen maiora sunt no-
stra, maiora Ducis huius attentata in renascentium ve-
lut studiorum conseruando flore opera ac molimina.
Hæc per clarissimum nuper dispersa orbem, singulorum
etiam examinata iudicio, maiora celebrantur. Nam
bellicæ res, præterquam quod cum socijs communes,
fortunæ & euentuum dubiorum participes, imperatorū
propriæ esse non putentur, etiam paruis terrarum & re-
gionum

*Epiphoniam**in hostis**disperio**ma**comparat**arced**Ratio*

gionum spacijs circumscribuntur, solum vt ex ea orbis parte, quam post grauem allatam cladem immensis subiugauerunt sudoribus, & tot collectis fatigauerunt exercitibus, suam Imperatores habere delectationē videantur. Nemo enim, nisi qui tenetur, illis paret, paret qui regionem inhabitat, qui se obstrictum beneficio eorum iudicat. Reliqui, quoniam in potestate hærere se alterius sciunt, alios, qui sibi quid mandare vel imperare debeant, haudquaquam patiuntur. At verò IULII Ducis allata studijs renascentibus gratia, ab hominum planè stridoribus, & militum turbidis motibus alienissima, ea haudquaquam certis & numeratis terræ spacijs alligata, quascunq; orbis vniuersus capit regiones peragrat, siluas perreptat, ciuitates perābulat, flumina trāsnatat, maria pernauigat, vt si quis exterus etiā, huius beneficio domicilij, artem hīc abunde didicit, eam vbiq; terrarum quocunq; tandem beneficio diuino & immortalī abreptus seu delatus fuerit, ingeniosissimè postea profiteatur, præclarissimè certè gnarus, tui Princeps editi in his locis facti, tui in se officij, tui in se & totas vrbes ciuitates ac regiones amplissimi beneficij. Biantemitaq; Philosophum, cūm ab eo quæsitū esset, cur bonis, quorum habere copiam ipse dicebatur, post expugnatam patriam relictis aufugeret, sapientissimè ferunt respondisse, gestare se bona secum omnia, quæ vbiq; terrarum quò veniret, quādo & quibus vellet, erogare posset. Abit, abit literaria gratia, ad extremas vsq; terrarū partes illa, & quæcunq; reperit suā efflagitantia opem loca deserta, vasta, immania, ingeniorum atq; morum expertia, ea diuite pabulo enutrit, pascit, & quibuscunq; potest animi donis verissimis, in sui immortalem gloriam excolit. Dilatauerūt IULII Princeps Maiores tui, infinitis laboribus & bellis

ampli
pari
com

per magis pro



& bellis propè formidalibus regna, amplificauerunt sudoribus imperia; sed hæc ea sunt, quæ conflagrante aliquando toto mundi domicilio amplissimo, in cineres vnà conuertētur, vix vt apud homines etiam in vita, horū longa, tenax, & diuturna memoria resideat. Leue enim & valdè lubricum mundi bonum est, quod vnà cum homine statim post corporis huius mortalem ac breuem dissolutionem interit, Seneca imprimis verissimè asseuerante: Bona mundi fluxa omnia, aut ex seipsis veterascere, aut luxu Dominorum suorum consumi, aut ab extraneis dolo ac violentia diripi. Verùm beneficii collati literarii, quod posteritatis causa repertum subsidio debet esse obliuioni, illustris & immortalis gloria, neq; æui termino clauditur, neq; hominū abolenda memoria consumitur, sed vsq; dum viget animus, in quo immortalitatis viua documenta ipsi crediderunt veteres, etiam extra corpus cœlestium rerum versatione, illæsa semper & incorrupta persistit ac manet. Fulcitur enim literis æternitas, reliqua mortem, & sui tristem dissolutionem verentur. Nec me verò speratus à multis fructus, quem pleriq; redire ex bellis ad hominum tuendam & exornandam vitam asseuerauerunt, mouere tātō opere potest. Nec enim res tantæ, viribus aut velocitatibus, aut corporum celeritate, quantæ consilio authoritate & sapientia geri solent. Plura Hasdrubal consilio, quàm vi gerens, auspicijs regulatorum magis, conciliandisq; per amicitiam Principum nouis gentibus, quàm bello aut armis rem Carthaginensem auxit. Regna IV LI Princeps bellis primò à Maioribus parta & amplificata sunt, à te parta & amplificata regna, factō diuino & incredibili tuo ritè cōferuata & stabilita, Imperia maximis viribus à maioribus cōdita, à te clariora illustrioraq; reddita, Gentes ab illis, populi, nationes aggregatæ & conuocatæ, à te salutare mundo

mundo artes, terris omnes inuectæ & introductæ, quarum profectò nulla est, quæ nõ mirificos sui fructus, nec amplissimas vitæ hominum utilitates & opes polliceatur. Quæ nunc singula I V L I Princeps, diffusa in regionis tuæ labantia & ægra membra, beneficio ea solùm tuo immortalis & diuino restituntur, te respirant authore, te conualescunt Duce, tua perfruuntur ope & leuatione. Quamobrem conuerso etiã à literis ad te sermone Princeps, ita sæpe gestiens loquitur Respublica: O me defertam quondam, ô me infelicem & miseram, ô me vulneribus confectam, & maiorum grauissimis motibus defatigatam. Nunc verò florentem, nunc incolumen, nunc beatam, & tua I V L I Princeps salutari medicina ad salutem reductam, Tu religionem inuexisti, tu vitam dedisti, tu vicium expulisti, tu homines communionem literarum iunxisti, tu leges terris, mores, disciplinam inuenisti, tu potentem rerum Dominam orationem concitasti: Totum hoc quantumcunq; est, quod certè maximū est, totum inquit, tuum est, nihil ex hac tibi laude auus, nihil pater, nihil maiores omnes decerpunt. Quinetiam nostri temporis Imperatores ac Duces, non se in istius gloriæ societate offerunt, tibi cedunt, tuam esse totam & propriam fatentur. Itaq; bellicæ maiorum laudes, fructibus quidem celebrabuntur ijs, quos mortalis ac fugacis vitæ vsus, habere cum alijs communes potest: At verò cum religionem, leges, disciplinam, mores, medicinam, opes quas nulla conficiet vetustas, terris solus inuexisti, quibus id I V L I laudibus efferemus, quibus studijs prosequemur, qua beneuolentia complectemur? Verùm abripior, longius fortassis quàm par est, amore beneficij huius, ad excellentem Ducis optimi demonstrandam pietatem, de qua nunc dicere prolixius desino, vt quæ

Soy
nario

Roi
For
H.



vt quæ inde virtutes reliquæ, ad omnem eius vitam dima-
nauerint, breuiter solùm adumbremus. Itaq; multa pos-
sum dicere de sapientia, iusticia, liberalitate, clementia
& de vita eius domestica & quotidiana, sed mihi ante o-
culos obuersatur confessus augustissimus, & temporis æ-
qua ratio, quorum non ignarus ego, virtutes Principis
eas tangere non exponere constitui, ne quæ dicat ipse,
qui post me peroraturus est, ampla hæc illi orationis ca-
pita præripiam, nec viros amplissimos diutius fortè iusto
detineam. Atq; ego de sapientia Ducis nihil dico, præ-
ter vnum quod dixi antea, præuisione eum matura, &
consiliorum agitatione dextra, Reipub. cõmunia bona,
& singulorũ amplissimas fortunas & opes auxisse. In quo
patrem felicissimè æmulatus, si huius cum illo vigilan-
tiam & industriam conferamus, maior propè laus IULII
filij esse debet, qui pridè inchoatos à patre Imperij fines,
laudatè postea dilatare, populum conseruare, virtute
acquirere, adeoq; oppidis metallicis ædificandis, & mi-
neralibus varij generis augendis & extruendis, perpetuæ
fese hominum omnium memoriæ commendare conatus
fuit. Idem cum Hinricopolim vrbem, sedem primariam
suam, maximè munitam, & ab hostium incursionibus
tutam esse cuperet, exstructionibus eam augere & ex-
tendere, ornare & amplificare præsumpsit, ad onerum
vel seruitutum omnium tam hyemalium quam æstiu-
alium, quæ subditis per maiorum constitutionem impo-
nuntur clementem subleuationem, annonæ laxitatem,
& rerum ac prouentuum omnium procreandam cõmo-
ditatem, adeoq; ad ipsam ducatus totius laudatam emen-
dationem, quæ ex fluminum coniunctione & alueorum
ipsorum expurgatione & ampliacione, felicissimè qui-
dem ab eo tentata fuit. Qua de causa & tum cum adhuc
D viueret

*aliquid Encor
& p. d. annis
p. d. p. d. s.*

republica



viueret Princeps, omnes qui salutem in eo suam experi-
ebantur, submissè illi gratias agebant, & hoc tempore;
ijdem homines coloni & subditi, & viri nonnulli for-
tissimi, beneficium I V L I I Ducis & voce & pietate de-
clarant: Sed & hoc prudentiæ in eo singularis fuit: *aliquid*
Turbulentissimis temporibus, quibus ad bella sæpè Prin- *damus*
cipum animi accendebantur, vnus hic ratione & consilio *Julius*
dissensiones declinauit, vim hostilem sine ciuiū cæde re-
pressit, coniurationū impetus retardauit, & si quas vene-
natas improborū machinationes animaduertebat, cōsi-
liorum celeritate auertit. Hic quid ego prædicē, quibus
id ipse rebus egerit, quot stimulos admouerit, quam
prudentiæ & moderationis viam secutus sit? Longum
est ea dicere, sed hoc vnum dicam: Si non excellens
Ducis animus, non præstans in Ducatum virtus, non
summa apud Principes authoritas, non mirificus in de-
clinandis & auertendis rebus vsus extitisset, hoc sæpè
ipso in loco, multorum fortuna, bellis funestis & calami-
tatibus inextricabilibus contaminata, tota & misera
concidisset. Hunc igitur animum prudentia admira- *con-*
bili ornatum, ad gubernationem attulit I V L I V S Prin- *triam*
ceps, cuius vestigia non ad parui temporis prædicationē,
sed ad perpetuam Ducatus nobilissimi huius recordati-
onem, semper intemerata & fixa, vbiq; locorum confi-
stent & permanebunt. Verum vt hæc prætereamus, &
quasi semper intuentes & respectantes relinquamus, iu-
sticiæ in Principe facta innumerabilia fuerunt. Huius
enim laude, & æquitatis pulchritudine, cum præter ce-
teros mirificè duceretur ille, probè intelligens, hac so-
cietatem hominum inter se cohærere, hac inter ciues
concordiam, inter vicinos populos pacem confirmari,
hac seruata commercia vigere, & contractus stabiliri, co-
natum

aliquid *Eulomium*

natum omnem suum huc conuertit, vt consilijs iustis & æquis, afflictae & perditæ Reipub. mederetur. Nam si in vulneribus eius exponendis, quæ bellorum tempore ante huius gubernationem iniquissimè in priuatorum sæpè causis perpeffa fuit, oratione multus esse vellem, eius salutem & dignitatem, huius sola ope & conseruatâ & restitutam docerem. Equidem etsi HENRICI patris virtute inuicta, & studio iusticiæ exercendæ admirabili, confessus & ordo amplissimus iudicij sapientissimè constitutus, & viris legum peritissimis præclarè ornatus diceretur, qui causas quotidie audiebant, & de iure ipso respondebant, bellorum tamen magis occasione & tempore, vbi inter arma silent leges, ditio sæpè rota in luctu erat, ciuitates squalabant, & oppida tristabantur, cursu nonnunquam tam felici gubernationis impedito. Itaq; cum emendatione accurata in hac quoq; parte opus esset, ad iusticiæ præclara obeunda munera, ad causarum executionem, ad veri atq; æqui determinationē, ipse legibus latis, & Doctoribus aduocatis, iudiciorum ordinem sapientissimè renouauit, propagauit, auxit, emendauit. Quod verò omnium erat in hac maximè parte admirabile, cum planè nullis Princeps delitijs duceretur, neq; venationibus etiam consuetis, minus luxu aut cupiditate ociosa delectaretur, ipse quasi legum custos, quotidiana diligentia causas audiuit, iudicauit, cognouit, deliberationibus interfuit, bonos defendit, scelestos & improbos coercuit. Quam in re præstantes orbis Heroës ac Duces secutus, Agesilaum inprimis Ducem virtute æquauit, qui Pellicano tanquam Symbolo scribitur delectatus fuisse, rostro ex pectore sanguinem elicente ad pullos alendos, addita inscriptione: Pro lege & pro grege. Atq; hac virtute clarus inprimis



& illustris Princeps, qua ceteras ferè omnes contineri creditum fuit, nihil quod in virtutibus reliquis numerabatur, vnquam omisit. Itaq; ea comitate fuit, qua neminem fastidiosè audiebat, ea animi moderatione, qua in summo honoris fastigio constitutus nullam superbix aut fastus significationem edebat, ita verò admirabili humanitate, vt si quos viros doctos ex Academia illustri sua ad aulam negociorum causa venisse animaduerneret, eos clementer & benignè exciperet, ad cœnam vocaret, sermones cum his sereret, & ad ludendum nonnunquam eos, vel honestas alias vitæ humanæ propositas voluptates amantissimè inuitaret. Veritatem quoq; in sermone, vita, gestu, & moribus omnibus amabat, à simulatione autem, maledicentia, obtrectatione, & vitijs alijs, quibus animus plerūq; humanus turbatur & concutitur, ipse toto animo alienissimus erat. Nihil hoc loco de eius domestica & interiori erga suos affectione & pietate dicam. In coniugem enim quam ex Electorali Ducum Brandenburgensium prosapia ornamentis omnibus Principe foemina dignis eximiâ & verè admirandâ nactus fuit, quanta æquitate & pietate fuerit, ille incomparabilis animi dolor, quo oppressam eam cernimus, & luctus immoderatus, quo Principem mortuum suum prosequitur, ostendere nobis cumulatè potest. Itaq; coniux etiam ipsa, Princeps & foemina laudatissima, cum amorem non fictum aut simulatum in marito, sed hunc firmum & integrum toto florentis coniugij tēpore animaduertisset, suprâ quàm potest dici IVLIVM Ducem dilexit, & dolorem quem ex obitu eius improviso habuit acerbissimum, lachrymis abundè profusis testata fuit. Dignus profectò Princeps, qui vt coniugis & liberorum, ita omnium Ducatus huius Procerum
lachry-

lachrymis honestetur. Dignus etiam Princeps, ut cum
tam præstantes, & Heroe ac Duce dignas virtutes osten-
tauerit, vixisset quàm diutissimè & quàm felicissimè.
Sed multis modis ætate mediocriter confecta, & iam ad
vitæ annum sexagesimum primum traducta morbo ten-
tatus, & virium propè omnium extrema debilitate pro-
stratus, concidit virtus, gloria, & fama orbis illa, non
multò quidem post eum diem, quo periculosissimè pri-
mò, omnium grauissimo dolore decumbere cœpisset.
Atq; ut toto morbi tempore qualis vitæ superioris con-
suetudo fuisset ostenderet, cum calculi sæpe doloribus
confectus, semper commotius & vehementius dixisset,
hïc omnium qui affuerant virorum optimorum, & di-
uini verbi præconum consensu, & potentissimè & sapi-
entissimè de multis rebus dicitur locutus fuisse. Deplo-
rauit enim Ecclesię casum atq; orbitatem, docentium in
docendi munere segniciam, & magistratus in curandis
rebus diuinis torporem. Quæ quidem vehementissima
contentione animi, ingenij, virium, & verbis grauissimis,
ab eo dicta esse feruntur. De Christo verò crucifixo
suo, pro se, ut aiebat, nato mortuo resuscitato, & de eius
in se & mortales omnes beneficio, ita præclare verbis
multis differebat ac profitebatur, ut astantibus pietatem,
coniugi verò & liberis, misericordiam ac fletum moue-
ret. Atq; ita demum ad res cœlestes ab operum hu-
manorum cogitationibus abductus Princeps, cum po-
stremum sibi lucis huius tempus adesse animaduerneret,
sacro sancto Christi generis humani liberatoris & salua-
toris corpore ac sanguine accepto, & perpetuis habitis
de eius beneficijs sermonibus, sine vlllo animi horrore ac
trepidatione, cum ingenti fiducia misericordiæ diuinæ,
& spe certa felicitatis perpetuæ, extremo edito spiritu,
in optata

in optata illa sanctorum loca, ex hac scelerum colluvie
ac voragine discessit. Discessit autem ille, nostro o-
mnium summo detrimento, suo verò maximo commo-
do, nostro tristi desiderio, suo inexplebili gaudio, no-
stro infelici tempore, sua æterna beatitudine. Itaque
quod postremum est, te nunc foeminarum illustrium
matrona gloriosissima HEDVIGIS, & te Maximè
omnium Princeps HENRICE IVLI, vnà cum fra-
tribus illustrissimis, sororibusq; omnib. generosissimis,
& vos Duces ac Proceres reliquos, & Heroinas illustres,
quos oculis velut in loco ibi hinc perorans, squalidos o-
mnes, & dolorè gemitu publico significantes contueor,
vos vos appello, & per eum, qui doloris moderator est
Max. Opt. obtestor & oro, ne corpori noceatis, sed mœ-
rorem eum in quo estis, felicitatis memores æternæ se-
detis ac releuetis. Nolite si quorundam in hoc loco
lachrymas aspicitis, si impotentiorum ciulationes, si
horum gemitus crebros & singultus perpetuos auditis,
vestrum cum illis dolorem coniungere; atq; haud scio,
an non hoc etiã nomine multò vobis magis repellendus
fit. Etenim si motus natura generosiores animis po-
tentiorum impressit, hi sub publico regni luctu, cum do-
lent ubiq; inferiores, animi magnitudine inuicta, & men-
tis molestia omni excussa, viris præclaris & illustribus o-
stendendi erunt. Me quidem cômouent, HENRICE
Princeps, voces permultorum querulæ, lamenta-
tiones continuæ, ciulationes perpetuæ, quæ non hoc o-
stendunt, quàm verè diligere defunctum, sed quàm nos-
metiplos amare atq; colere videamur. Nam si dolemus,
quòd eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum,
quod modicè feramus, ne id ad domesticam vtilitatem
referre videamur, sin tanquam illi ipsi aliquid acerbitatis
accidit

ala or
nis q

accidit angimur, summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. Etenim si viueret Princeps, pluraq; fortassis quæ sunt in humanis felicia desideraret ipse, amorem verò maximè, quo te H E D V I G E M coniugem, & vos Principes liberos vehementissimè semper complexus fuit, hunc autem vnà cum ceteris cum quibus ille nunc viuit, dolorem acerbissimum sustineret, cum ad mundi labores tristissimos, & vitæ huius ærumnas perpetuas reuolutus, theatro se beatorum splendido, & regno animarum cœlesti ac glorioso, miserè orbatum ac spoliatum videret. Equidem angitur ille animo, mundum considerans, scelerum domum & miseriarum Ergastulum, quæ non ignorauit ille, cum hîc esset; iam verò multò perfectius cognoscit, cum malis omnibus subreptus ex diuturna se velut iactatione ad sempiternæ felicitatis portum recepit. Nihil amplificandum hoc loco, nec quid temerè exaggerandum, quod tacere quidem piorum causa melius foret. Sed quis est mortalium etiam feliciorum, qui si ad generis omnis mala atq; scelera, & hisce constitutas in vita pœnas acerbas, dolores etiam tristes & varios pro delicto immisos animum conuertat, mundum infelicem hunc & miserum, ipse non toto animo detestetur, oderit, excretur? Quis verò nostrum, qui ad gliscentia ubiq; terrarum bella, & ipsos Ducum ac Regum hostiles concursus, irruptiones, direptiones, & factas multo tempore regnorum ac urbium vastationes, non penè totus vel expauescat, vel hæc solùm si audiat non dolore iusto atq; ægritudine collabatur? Atq; hæc cum in oris vicinis, & Germaniæ locis florentissimis,

ante



ante omnium oculos maxima luctuosissimaq; peruagen-
tur, quid est ferè, quod ad viuendum inuitare quèquam
tantopere videatur. Cædes, periuria, rapinæ, stupra,
furta, homicidia, ferè plura hoc tempore, quam vn-
quam antea audiuntur, pij si hæc oculis videant, toto
animo consternantur: lidem etiam multis incommodis
& difficultatibus in mundo affecti, nihil æquæ quam fe-
licem ex vitæ huius miserijs emigrationem desiderant.
In hac tanta libidine hominum nocentissimorum, in
quotidiana optimorum querimonia, & publica ferè
mundi huius infamia, videte oro viri Principes videte,
ne locum quem sublimem ipse assecutus est, lamenta-
tione indecora, animæ gloriose ac triumphanti inuidea-
tis. Permutauit ipse mala mundi huius, cum bono
summo & eminentissimo, terrenas opes cum coelesti-
bus, miseras cum felicitate, dolores cum voluptate, la-
bores cum pace, vitæ fragilitatem cum animæ immor-
talitate, adeoq; mundum cum cælo, vbi non Ducem
eximium, nec imperatorem magnum, sed dominantium
Dominum, vnà cum fidelium sancta aggregatione co-
ràm intuetur, & horum suauissima conuersatione, ac
dulci interlocutione felix ille, & in perpetuum sanctus
recreatur. Eam verò diuinitus illi oblatam gloriam
ægritudine immodica contaminare, vobis viri Princi-
pes turpe, illi exitiosum est. Ita q; videte oro videte,
ne quam illi cœlestem dignitatem, diuinum attulit be-
neficium, ne quam illi gloriam æternam, laudatum tri-
buit sanctorum consortium eam nimium lugentes, inui-
dia ipsa, atq; indecenti hac eiulatione obteratis. Ac ne
illud quidem vobis negligendum est, quod ad Rerūpub.
salutem, & singulorum vitam, bona & fortunas pertinet,
quorum vobis maximè, accurata & diligens habenda
ratio

ratio erit. Est enim vestri inprimis muneris, cautè prospicere, ne gubernatoribus veris, tanquam custodibus ciuitatum ipsis, regna & imperia careant, qui re & consilio afflictas priuatorum fortunas recreent. Metuendum autem, si dolori vehementiùs indulgeatis, si animum perpetuo luctu maceratis, ne vel altera, vel maiori etiam ægritudine, præstans hæc Respub. concutiatur. A quo periculo & vos & nos, & liberos nostros, Rempub. quoq; totam prohibete: & mihi credite, id quod vos ipsi scitis omnes, vestrum hoc periculum, si quod est vestrum, in nostra exonerat capita, cum nostris hoc est coniunctum miserijs: Accidere hoc non potest, vt nostra vobiscum non euertatur ac labefactetur fortuna. Quamobrem videte oro, ne hanc quam morte fuit consecutus cœlestem gloriam, ne immortalitatem, ne famam, ne cœlum ipsum gloriosæ ac piæ animæ lamentatione indigna, neq; vobis fructuosa inuideatis. Nos I V L I I Ducis memores Herois gloriosissimi, eum nunc discedentem à nobis in æterna tabernacula, vbi te coniugem generosissimam HEDVIGEM, & te Maximum Principem HENRICVM, & vos reliquos liberos, illustres omnes, absens exspectat, reuerenter prosequamur, agamusq; cœlesti Patri, pro hoc eius vicario, Duce illustri & eximio, quo semper stetit felix tellus & gubernatio, gratias sempiternas & immortales, & DEVM Maximum Optimum piè suppliciterq; oremus, vt Principes Brunouicensium Ducatus illustrissimos & generosissimos, in causa deinceps religionis, literarum & Reipub. totius prouehenda, imperio, dignitate, potentia, valetudine, florentes ac saluos clementissimè ad multos annos tueatur.

F I N I S.

E

Threni



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a Latin or German manuscript, possibly a list or index, with some words like "Hinc", "E", and "F. I. N. I. S." visible.

Hinc

E

F. I. N. I. S.



Threni siue lamenta

Super

ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS ET DOMINI, DN.
IVLII DVCIS BRVNSVICENSIVM ET
Lunæb. &c. morte sanctè pacateq; obita
V. non. Maij, Anno Christianæ salutis
15 LXXXIX. supra millesimum
VVolfenbytij.

Versibus senariolis

indicata à

M. SIMONE MENCIO Quedlingap.
publico Academiae Iuliae
professore.



*Um bis recenset signa sua Sol, tertium
Curritq; ver, eheu dupliciter IVLIA
Orbata domus: Hemipolitani presulis
Migrante primum ex his malorum vallibus
Cælestia ad vitæ beatæ culmina
Incomparabiliter fideli coniuge:
Nunc patre eadem consequente semita,
Virtute nemini secundo Principe,
Baalis Antichristi in his prouincijs
Victore primo: pergrauem pol geminam habet
Causam trahendi à corde gemitus intimo,*

E 2

Amplèq;

Amplēq; ditionis caput, columen, iubar
Desiderandi mole sub rerum ardua.

Vixdum recente lacrymarum desijt
Madere gena Brunoniarum flumine:
En alteram mors dura mox circumspicit
Ingratioris originem aegritudinis,
Atroceq; unguem cum dolore plurimum
Obducta nuper refricantem vulnera.

Chari parentis dextra adhuc superstite
Ceus ferrea, ventis iniquis, ancora
Prior calamitas posse ferri visa erat
Mente equiori, firmiori pectore.

At casus hic, fluctus decumanus velut
Super alios maiore veniens impetu
Ferē opprimit spoliata opem magistratam,
Nec quo repentinas procellas mulceat
Sinit remedium temperare idoneum.

Versatur in mœrore tota Ecclesia
Ob orbitatem Principis: sub quo fuit
Purgata primum sordibus, deinde ope
Defensa forti, ornata multo munere,
Refecta saepe mitibus solatijs.

Languescit vniuersa Musarum cohors
Desiderio inexplebili amissi artium
Tutoris, imò patris immortalium.

Nec signa dat minora populus luctuum
Per rura passim sparsus & per oppida:
Cui tantopere, dum viueret Dux profuit,
Vt seruiendo commodis communibus,
Iuuantis alium instar lucernæ, proprij
Vires opesq; dissiparet corporis:
Cui vera templis sacra, iura curia,

Leges

Leges foro, pacem laribus & ocium
Vitaq; cuncta fouit adiuvamina:
Quem charitate semper ita complexus est,
Vt ni obstitisset una vis, ex pectore
Suum cor exemptum, vicissim debite
Communicaturus fuisset patriæ.

O Christe (namq; pauca pro causa loqui
Tecum placet necesseq; est) tot luctuum
Miserere, mentium tot exaudi preces.

Respice relictam Principis eheu coniugem,
Non ope, nec opibus destitutam, sed tamen
Vidua gementem triste nomen fœmina,
Sordere sine te consuetemq; omnia:
Tu sic tuere hanc, esse viduam ne putet.

Respice relictam Principis propaginem,
Regno quidem præclaram & auro, sed tamen
Nunc Orphanorum conquerentem nomina,
Pro teq; gazas respuentem Persicas:
His tu parentis ipse suppleto locum.

Respice relictam Ecclesiam, plebem, Scholam:
Herois imprimis humati spiritum
Post busta in æternos superstitem dies,
Receptum inexpugnabili manu tua
Sinuq; fotum, iunge contubernio
Superum beatorum, & tuis sermonibus
Gaudere sine, fruiq; vultu perpetim.

In vrbe Capernaica curri senes
Cum te rogatum aduent, profani vt militis
Sæua laborantem Paralyti seruulum,
Mortii propinquum subleues: Domine, inquiunt,
Dignus vir est profecto, cuius ad preces
Feras opem periclitanti: namq; amat

Nos Israëlitae, & hoc statuit solo
Lycaea nobis, castra cultum DEI
Quos tradidit sacro Moyses codice.

At IULIUS Princeps Camenis non modo
Turrita nostris hic locavit mœnia,
De nomine tuo gloriantur cœtui
Cellas & expressos fauos servantia:
Verum per annos insuper iisdem bonos
Quotidianum victum, amictum, & cetera
Quae poscit huius cunq; ratio fabrica,
Tam mente, quam manu benigna praeiuit.

Hic Dux hic est, oris in his cui proximè
Post gratiam tui favoris, pulpita,
Altaria, & suggesta pura seculum
Debere se fatentur illud aureum,
Quod pacis inter haec beat nos ocia,
A pristino votis repellendum luto.

Hic primus hic idola fanis abstulit,
Et debitos aris honores reddidit:
Hic nomen inclyti Ducatus, vi tuae
Benignitatis annuente, limites
Supra paternos, supra auitos protulit.

Frustrà tot allegamus ista forsitan
In literas, Ecclesiam, Rempublicam,
Tuum ante conspectum studia fidi Ducis,
Qui das tua humanis nec indulgentijs,
Nec dignitatis ordini beneficia,
Vni sed implorantium fiducia.

Luctus tamen & amor pium erga Principem
Expressit animis ista laudum encomia,
Parata pro focus & aris, pro grege
Et lege sumptis Herculanis nisibus:

Parata

Parata communes in usus undiq;
Larga manu, mira arte factis sumptibus:
Parata virtutis rogata, bellica
Concentu & harmonia suavi ac virili:
Parata in hos priuatim, in illos publicè
Meritis in afflictos, egenos, exules.

Ignosce abundantanti ergò beneuolentia,
Et gratuita fac impetrari munera:
Os orat extra, cor sed intus te, fides
Virumq; pulsat spe tuae clementia.
Audisti Apellas ethnico pro satrapa,
Experte sincerae Dei obseruantia
Vota facientes, cum leuis de seruuili
Tamen ageretur sanitate: percipe
Nostras quoq; preces aure facili, quas domus
Pro principalis, gloriam prona in tuam,
Salute & incremento & immoto statu
Tuum ante vultum supplices profundimus,
Sacrum tui titulum gerentes nominis.

Si qua secutura ruina non nouo
Timore tanta computantur funera:
His fulcra tu suppone valida, aut pendulas
Clementiore da modo residere.


Tum frena capientem paterni iam throni
Sancto gubernare flamine tuo praesulem,
Auctoritate ut is pari dehinc subditis
Praesse terris possit & dextro alite.

Luci redaccense Scholis per IVLIVM
Templisq; voci autore eodem reddita,
Huic tu sonos, fomenta & illi suggere,
Vtriq; barbariem & vetus fermenti opus
Ad vasti abige postrema ponti littora,

Vi nosce-

*Ut noscere & laudare te volatili
Queamus hic, istic perenni seculo.
Da nostra tali sensa sine dirigi,
Subinde vitam moribus ijs imbui.
Ut agnito tuae crucis patibulo
Semper leuantes triste nata & addita
Stipendium noxa, è tenebris his Ducem
Te consequamur in relucentes domos,
Ad illa possidenda tecum gaudia,
Quae nequijt auris capere, pupula cernere,
Lingua eloqui, mens vlla fingere haectenus:
Sed nec deinceps asper elidet dolor,
Nec diuidet nox, nec hebetabit vespera.*

F I N I S.



153456

ULB Halle 3
002 677 407



VD 77



vicinis. Sanctus sanctus


sanctus sanctus

Quoniam communicantes et noctem ut dicitur
sacratissimam celebrantes. qua bea-
tissime intemerata virginitas. huius mundi
salvatore. Sed et memoriam venerante-
mus eiusdem gloriose semp vir- ginis mar-
tris eiusdem dei et domini nostri ihesu christi. Sed et
torum apostolorum tuorum

Quoniam communicantes. et diem sacramentum celebra-
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. factus
natus in veritate carnis nostre visibiliter carnaliter
apparuit. Sed et memoriam

Quoniam communicantes et diem sacramentum celebra-
tes. quo dominus noster ihesu christus pro nobis est factus
Sed et memoriam. Hanc igitur oblationem





ORATIO FVNEBRIS
DE ILLVSTRIS-
SIMO PRINCIPE AC
DOMINO, DOMINO IVLIO,
BRVNOVICENSIVM AC
Lunæburgensium Duce:

Habita à
M. HARTVICO SMIDESTETO.



HELMÆSTADII
Excudebat Iacobus Lucius,
Anno M. D. LXXXIX.

2.6.

